

sequuntur. Testem advoco S. Chrysostomum, qui hom. LXI. in Genesin scribit: « Quando quis munda fuerit conscientia, et ab omni liber macula poterit Dominum universi habere inhabitantem. Beati enim, dicit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod si quis illum inhabitatorem habere meretur, quasi simpliciter et sine impedimento corpore vestitus esset, ita postea afficietur, et humanarum rerum umbram facile condemnet. » Moyses et Aaron, quando contra eos tumultuari cepit populus, fugerunt ad tabernaculum, Num. XVI. Ibi inveniebant Deum, sui defensorem, in ligneo, inquam et mobili illo tabernaculo, quod secum per omnia loca ferebant. Hujusmodi asylum est pura conscientia, quam circumferimus undique nobiscum, et in qua reperimus Deum defensorem nostrum: ubi etiam anima a peccato libera est, ibi Deum in se habet, qui utique domum suam tuebitur; juxta id Exod. XIV. ¶ XIV. *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis*, contra Pharaonem scilicet uti factum.

III. Est mons, hoc est, spes primo, auxilii et providentiæ divinæ: ad quem confugit imprimis David, quando dixit Ps. CXX. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Montes intelligit, in quibus sita erat Jerusalem, templum et arca. Eo respexit etiam et confugit Abraham, quando fidelium Dei jussu immolaturus ascendit cum eo in montem, ipsique interroganti: *Ubi est victima holocausti?* respondit: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi!* credens in spem contra spem (ad Rom. IV.) Deum sibi in tribulatione adfuturum, sive in resuscitando ad vitam filio, sive in substituenda alia victima, uti factum, quando manus ferientis ab angelo inhibita et aries pro filio immolandus ei demonstratus est. Ex quo mons ille nomen accepit, *Dominus videbit*, seu *Dominus providebit*, Gen. XXII. « Hoc autem, inquit ibi D. Hieronymus, apud Hebræos exivit in proverbium, ut si quando in angustia constituti sunt, et Domini optant auxilio sublevari, dicant: In monte Dominus videbit, hoc est, sicut Abraham misertus est Dominus, ita miserebitur nostri. » Eodem proverbio nos Christiani et multo quidem magis uti ad solatium nostrum possumus, cum in tribulatione sumus: et qui Abrahamo in ea angustia manum auxiliarem porrexit, suppeditando ei aliam pro filio suo victimam, idem porriget et nobis. In hunc montem levavit oculos Susanna, quando ex falsa delatione injuste condemnata *frens suspexit in cælum*, a Deo auxilium postulans, quod inter homines non invenit. Nec frustra: excitavit enim Deus illico spiritum Da-

nielis, qui detexit innocentiam ejus et vitam servavit, Dan. XIII.

Secundo, spes saltem futuræ retributionis et gloriæ cælestis, quæ expectat patientiam justorum, de quo dicitur, Exod. XV. *Introduces eos et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo*. Ubi enim hæreditas nostra, ubi firmissimum habitaculum, nisi in cælo? In hunc mundum direxit Christus discipulos, quando post prædicationem crucis et multorum laborum, ab ipsis aliquando ferendorum, duxit eorum tres in montem Thabor, ut aliquid gloriæ specimen eis ostenderet, quo aliquando recogitato in suis persecutionibus, animos resumerent fugerentque ad montem, et spem gloriæ. Etenim si Petrus in illa speculatione, unius tantum dotis corporis Domini, claritatis scilicet, tanta suavitate perfusus, et quasi inebriatus fuit, et sui oblitus, nihil jam in mundo aliud desideraret, quid erit torrente voluptatis potari in cælo? Neque est, quod metuat quis, ne spoliatur ea mercede, si ipse sibi fidelis custos sit, quia reposita est in manu Dei. Sed neque diu valde merces illa expectanda, quia *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii merces*. Quisquis ergo in afflictione est, ad hunc montem se recipiat, et asylum inveniet. Eo se recipere solebat David, cum in tribulatione esset, ut indicat, Psalm. XVII. illis verbis: *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statuens me*. Cervi cum fugiunt venatores in celsos montes properant, et ubi tutum consistunt, ut ait Euthymius in similem textum, Habac. III. ¶ XIX. At ubi vel quando David cervorum celeritatem assecutus ad montes cucurrit? Quando spe cælestis gloriæ celerrimis cogitationibus ad cælum se libravit, et ibi refugium suum invenit. Unde S. Gregorius, lib. XVI. moral. c. X. ait: « Electorum montes cervi dicuntur, dum quæque in hoc mundo obviantia obsistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, et more cervorum despectu terrenarum rerum sensibus in suprema, id est, æterna se evehunt. » Fuit etiam in ejusmodi venatione nimium quantum agitatus sanctus ille Job, ita ut undique circumspiciens nullum reperiret locum, in quo eadentem erigeret animum, uti lamentatur, e. XIX. *Venerunt latrones ejus et fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, et qui noverant me, oblitum sunt mei. Inquilini domus meæ et ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi et non respondit, ore proprio deprecabatur*

illum. Habitum meum exhorruit uxor mea, et orabam filios uteri mei. Stulti quoque despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, et quem maxime diligebam, aversatus est me. Quare obsecro esse potest major desolatio? At vide ad extremum, quo hic servus se recipiat. Scio (subdit paucis interjectis) quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum, etc. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, q. d. hanc spem velut rem mihi omnium charissimam securo loco reposui, ubi eam nemo aufert mihi, nec oblivio sepeliet. Hunc sanctum et magnanimum virum imitemur nos auditores. « Affecit te aliquis ignominia, (inquit S. Basil. homil. de gratiarum actione) quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cælis est, tibi paranda merito patientiæ. Jacturam rerum tuarum adisti? Oculos imprime fixius cælestibus divitiis et thesauro incomparabili, quem tibi bonorum operum pretio seposuisti. Patrio te solo exclusus es? Et patriam habes cælestem illam Jerusalem. Ad eum mundum si iis, quæ molestiam tibi nunc pariunt opposueris, quæ sperantur bona, animam tuam ab omni anxietate servabis, ad quod nos invitat sanctio legis apostolicæ semper gaudere. » Ad Philip. IV.

Hæc via sequemur Christum, a tumultuante turba ad navim se recipientem: quo modo eum secuti dicuntur ejus discipuli in hodierno evangelio. Sequamur eum una cum illis; quia propter nos ad asyla illa, cum ipse necesse non haberet, se recepit; ut quemadmodum cervi docet hinnulum suum confugere ad silvas, montes, petras, ante eum currendo, ita et ipse nos instrueret, quo confugere debeamus in periculis et necessitatibus nostris. Sequamur ergo parentem nostrum, et quacumque tandem instante necessitate recurramus ad asyla a Christo demonstrata: ad naviculam imprimis conformando nos per omnia Dei voluntati: ad desertum ingrediendo securam conscientiam: ad montem, expectando Dei opem; et si hæc non suppetat, in futuro saltem mercedem copiosam.

CONCIO V.

SOLATIA ANIMARUM PURGATORII.

I. Quiescunt super cervicali gratiæ. — II. Sunt securæ de perseverantia in gratiæ. — III. Sciunt sibi a patre amantissimo penam infligi. — IV. Bona societate gaudent.

THEMA.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Matth. VIII.

Intueri mihi videor, in fluctuante hac navi-

cula et maris tempestate, imaginem purgatorii, in quo detentæ animæ jactantur et torquentur gravissima tempestate plurimorum cruciatuum. Christus Dominus mare trajecturus in tempestatem incidit, horridam et immanem; interim tamen dormit, quasi nihil sentiens; cum tamen jactationem illam utique sentiret. Conscenderunt etiam animæ fidelium, a corporibus solutæ, cymbam mortis, trajecturæ ad alteram vitam et portum æternæ felicitatis. Sed enim in trajectu pleræque interceptæ sunt ab immani tempestate ignis purgatorii. Hinc clamores et lamenta ad nos viventes: *Miseremini nostri, miseremini nostri, saltem vos amici nostri*. Interim tamen negari non potest, ipsas etiam dormire in ea tempestate, quasi in molli culcitra. Neque enim frustra toties apprecatur eis Ecclesia, et nos cum ea, quando dicimus: *Requiescat in pace*. Quiescunt igitur animæ illæ, sed nondum in pace quod illis precamur. Quando vero hoc non parum facit ad solatium nostrum, qui et ipsi pertimescimus nimium quantum sæpe; tempestatem illam videamus, et ex somno Christi illarum quietem investigemus.

I. In media hac tempestate Christus dormiebat *super cervicali*, ut ait Marcus, c. IV. Suaviter autem dormit, qui in cervicali dormit: dure et gravate, qui sine cervicali. Cervical hoc est gratia Dei, in qua se constitutas norunt animæ purgantes; norunt, inquam, partim ex particulari suo judicio, partim ex motu amoris in Deum, partim ex aliis argumentis; et quidem certo. Quam suave est hoc cervical! Certe tam suave, ut non commutarent id, junctum etiam penis, quas patiuntur, cum quovis mollissimo thoro peccatorum hujus mundi. Beata Christina virgo mirabilis et illuminatissima dicebat: *Ego vel apud inferos mallet esse cum Deo, quam in cælo cum angelis sine Deo*, in vita S. Lutgardis, refert Thom. Cantipr. XVI. jun. apud Sur. Unde plane a potiori consequitur animas illas purgantes centuplo libentius esse in purgatorio, quam hic vel ad unam noctem dormire in peccato. Habent enim ibi Deum secum, quo hic carent peccatores. Exemplo nobis sit S. Laurentius, qui in craticula semitostus mediis in cruciatibus gaudio perfundebatur et insultabat tyranno. Unde vero hoc, nisi quia sciebat se Deum secum habere? *Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit*, inquit S. Leo, in ser. de ipsius natali. Ex una quidem corporis parte urebatur Laurentius, et vehementer cruciabatur ex altera, tamen non urebatur, sed refrigerio mulcebatur: ita purgantes animæ tametsi ex parte una dire patiuntur, ex altera tamen mire recreantur, ob gratiæ refrigerium. Denique præsentiam. In lacu Asphaltite seu mari mortuo, viva animalia inna-

tant, mortua in imum descendunt: lucernæ ardentes superferuntur, extinctæ merguntur, uti refert Pausanias et alii. Animæ illæ, quæ in Deo vivunt, aquis illis funestis licet affligantur, non tamen merguntur, ut illi, qui ad inferos descendunt, sed supernatant, et aura gratiæ perfruuntur. Sunt etiam animæ illæ ab omni culpa expeditæ, tametsi pœnis adhuc obnoxia. Docet enim S. Thomas, quæst. de peccato veniali, artic. XI. morientes in statu gratiæ efficere actum charitatis in Deum, etsi a morte præventæ vel usu rationis destitutæ sunt, statim post mortem, qui per modum adjumenti delectat culpas veniales, quo modo solis lumen exhaurit humores terræ. Habent ergo conscientias ab omni labe immunes, quod non parum auget prius illud solatium. *Secura enim mens quasi iuge convivium*, ait Sap. Prov. XV. § XV. et S. Ambros. l. II. offic. I. *Vitum beatam*, inquit, *efficiunt tranquillitas conscientiæ et securitas innocentia*. Quare possident et animæ illæ suam quamdam beatitudinem, sed inchoatam et doloribus mixtam.

II. Dormiebat in puppi; ut etiam S. Marcus adnotavit. Puppis est posterior navis pars, uti prora anterior. Animæ purgantes requiescunt in puppi, hoc est, in vitæ termino adeoque sunt securæ de perseverantia in gratia; quia jam in termino constitutæ, ubi nec mereri amplius nec demereri quidquam possunt. Qui hic in statu gratiæ vivunt, dormiunt in prora, nondum in puppi; quia adhuc exoidere queunt. Unde monet apostolus, I. Cor. X. *Qui stat, videat ne cadat*. Scimus statuam Nabuchodonosoris fuisse auream, sed desiisse in pedes luteos; unde exiguus lapis in eam decidens, totam machinam subruit, Dan. cap. II. Multi in capite aurei sunt, sed in pedibus lutei; optime incipiunt, pessime autem finiunt, atque ita totum perdunt. Saul quasi filius unius anni erat, hoc est, innocentissimus, cum regnare cepit: peccator autem multorum annorum, cum vivere desiit. Non sunt tales animæ purgantes, sed qualis describitur sponus, Cant. V. *Caput ejus aurum optimum, et crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*; quia in gratia confirmatæ sunt. Hinc igitur novum prodit eis solatium et gaudium, quia norunt esse de numero electorum, nec ullis tentationum fluctibus mergi posse. Maximum esse solatium debuit illorum, qui cum Sancto Paulo in maris tempestate jactati quasi in singula momenta expectant naufragium, quando eis Paulus ex divina revelatione prædixit: *Amisio nullius animæ erit ex vobis, propter quod bono animo estote viri*, Act. XXVII. At quanto

majus erit solatium purgantium et inter pœnas lamentantium animarum, quando ex divina revelatione cognoscunt nullam ex ipsis perituram? Hinc teste Blossio, in monili, cap. XIII. malunt ibi pati, quam ad nos redire et vivere cum periculo salutis suæ. Confirmatur id exemplo Petri, equitis Poloni, Petravini pagi domini, qui suscitatus præcibus Sancti Stanislai ad reddendum veritati testimonium, postea ab eodem ad sepulcrum reductus, cum ab eo rogaretur, an vellet remanere in vita hæc renuit et rogavit potius, ut pro ipso orarent, quo citius e purgatorio liberarentur. « Ego, pater sancte, inquit, nolim in hac vita permanere, vita quam ego rectius mortem appellandam sentio: sed illam peto fore beatam, in qua videtur præsens Dei vultus. Nam tametsi justo Dei judicio hactenus purgatorii pœnas peressus sum, attamen spero me brevi ad superos commigraturum. Tu quæso pater, ora pro me, ut cito id fiat, aut si justitia non permittit, aliquid de supplicii tempore diminuatur. Sicque ad sepulcrum rediit. » Ita Joannes Longinus canonicus Cracov. in vita S. Stanislai episcopi Cracov.

III. Tempestatem istam non concitavit natura aut diabolus, sed Deus, ut testatur Origenes, homilia VI. in diversos. *Tempestatem*, inquit, *non ex se orta est, sed potestati parvit imperantis ejus, qui educit ventos de thesauris suis, etc.* Item: *Ingressus Dominus in naviculam fecit turbare mare, commovit ventos, concitavit fluctus. Corpore dormiebat, divinitate vero concitabat.* Quid mirum ergo si Dominus in hac tempestate securus dormiebat, si eam Pater ejus, imo ipsemet faciebat? Id si apostoli scivissent, perturbati non fuissent. At vero animæ illæ norunt tempestatem afflictionum, in qua versantur, non a diabolo excitatam, sed a patre suo amantissimo, ad extergendas labe, quas in vivis contraxerunt. Non eodem animo tolerantur, ustiones, sectiones et punctiones, quæ a chirurgo infliguntur male affectis, et quæ maleficis a carnifice. Illas ferunt infirmi animo pacato, quietiam grato, qui in bonum eorum cedunt: has vero rei ferunt ægro valde animo et perturbato; quia ad interitum eorum tendunt. Priori modo uruntur et secantur animæ in purgatorio ad salutem: posteriori vero inferi ad interneconem. Hinc igitur novum accedit purgatorio solatium, quod sciant tempestatem et medelam illam, quantum vis asperam, a Deo velut medico peritissimo et amantissimo sibi destinatam. Quæ causa est, cur David tam æquo et pacato animo sustinuit opprobria et lapides in se projectos a pessimo illo Semei, adeo ut suis diceret: *Dimitte eum ut maledicat David.* Causam ipse

mox subjecit: *Dominus enim præcepit ei, ut maledicat David, et quis est, qui audeat dicere, quaresie fecerit?* II. Regum XVI. Multa quidem calicem passionis Christo reddidit non solum tolerabilem, sed et amabilem, (idecirco enim calicem appellat) mundi scilicet redemptio, ruinæ angelorum reparatio, beatitudo prædestinatorum, gloria incomparabilis sibi decreta, etc. sed quasi horum oblitus, solius meminit decreti paterni, a quo calicem illum accepit: *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. X. Calix amarissimus fuit, adeo ut sola ejus memoria sanguineum sudorem Christo expresserit; quia tamen a Patre ipsi decretus et oblatum, ideo tam acceptus fuit, ut pro eo exhauriendo quasi decertaret et cum Petro expostularet; neque eum appellavit calicem Herodis aut Pilati, sed Patris, qui sua propinatione haustum illum, amarum licet optabilem sibi fecerit. Subjecit etiam David loco cit. aliam causam suæ æquanimitatis: *Si forte respiciat Dominus afflictionem meam et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*, ut videlicet remittat ei pœnas, quas contraxit suis peccatis. Unde S. Greg. l. XXXI. mor. c. XVII. de ipso ait: *Contumeliosa verba non tam convicia quam adjutoria credidit, quibus se purgari sibi que misereri posse judicavit.* Vident insuper animæ purgantes tormenta, quæ patiuntur, sibi adjumenta esse quibus expurgatæ a suis maculis ad Dei misericordiam et conspectum promoveantur. Quinimo, eum sciant nihil coinquinatum admitti ad conspectum Dei malum sic purgari, quam cum macula vel levissima seculum intrare. Cujus rei exemplum refert Blossius supra c. in monili, c. XIII. de quadam moniali, quæ ex monasterio S. Gertrudis adhuc juvenula obiit. Hanc vidit S. Gertrudis in vestitu aureo præsentari Christi conspectui, quæ tamen verecundiam præ se ferens nitebatur vultum abscondere. Gertrudis hoc admirans affatur Christum: *Benignissime Domine cur hanc filiam tuam in duleissimos amplexus tuos non admittis?* Audito hoc Christus protendit brachia sua quasi daturus amplexum: at illa se retrahebat summa cum humilitate: quod Gertrudis magis admirans: « Cur, ait ad animam, tam dulcis Domini amplexus refugis? » « Quia necdum, ait illa, tota pulchra sum, sed adhuc in me sunt macule; quæ, me illis amplexibus indignam faciunt. Et vero scito me, si liber in cælum aditus daretur, sponte, ne quidquam justitiæ derogem, substituram, eum sciam indignum esse ut tali sponso talis sponsa copuletur. » Porro qui purgantium animarum maculas intueri cupit, audiat, quod scribit B. Pet. Diamiani card. l. VII. ep. de quodam presbytero, Rainerio, cui S. Bened.

purgatorii loca ostendit, ubi inter alia vidit horrendum quemdam fluvium, tetrum, piceum et sulphureum. « Videbantur autem in præfato fluvio innumerabiles volucres quasi columbæ, varia plumarum diversitate conspersæ: ut hinc albi, illinc nigri discolor species videretur, omnesque velut molestæ nimis ac lugubres quasi præ dolore rostra extorquebant ad pennulas. Inquisitus itaque comes, quod illæ volucres essent respondit: Illæ sunt, inquit, animæ diversis in hoc gurgite purgatorii deputatæ, quæ videlicet sicut non ex toto sunt albæ, sed interfusa sparsim nigredine variatæ sic et ex parte jam purificatæ, et ex parte adhuc sunt peccatis obnoxia. Nam quanto spatiosior albedo cernitur in varietate plumarum, tanto major intelligitur facta abolitio peccatorum, in quantum vero nigredo remansisse conspicitur, in tantum adhuc peccatorum maculis asperguntur. » Hinc oritur magna æquanimitas, cum qua pœnas suas ferunt; quando intelligunt eas sibi debitas jure divino, ob sua peccata inter vivos admissa. Latronem illum pœnitentem æquiore animo pertulisse crucem, non difficile colligimus ex eo, quod agnoverit juste se puniri: *Nos quidem juste*, inquit, *nam digna factis recipimus.* Contra impœnitentem alterum duplicasse sibi pœnam, quod agnoscere non videretur, se eam promeruisse. Videmus etiam alibi comitem illum, qui S. Engelbertum archiepiscopum Coloniensem interemit, quando ob id scelus rotæ supplicio addictus fuit, magna cum animi promptitudine supplicium sustinuisse, adeo ut carnifici sponte singula membra obtulerit constringenda quia delicti sui gravitatem, uti debuit, expendit, reum se proclamavit et omnibus tormentum dignum indicavit, ut ex vita S. Engelberti, apud Sur. 7. nov. constat. Multo adhuc æquiore lance peccata sua olim patrata ponderant animæ illæ; ideoque debitam satisfactionem pro eis perlibenter et acceptant et exsolvunt.

IV. Denique dormit Christus inter discipulos remigantes et sollicitos de servanda nave et superanda tempestate. Ita animæ illæ pro solatio habent imprimis animas quam plurimas, charitate sibi junctas; deinde angelos sanetos, custodem maxime, a quibus consolationem accipiunt, nuntia precum et suffragiorum, quæ pro ipsis fiunt (ut testatur S. August. l. de cura pro mortuis, c. XV.) deque instante sua liberatione audiunt: quomodo a Raphaelo angelo solatiuin accipit Tobias illis verbis: *In proximo est, ut a Deo cureris*, Tob V. Crediderim etiam, quod se invicem animent ethorreatur, sicut quadraginta illi milites sub Licinio in perfrigidum lacum de-

missi. Maxime vero recreantur cum audiunt et sentiunt viventes pro ipsis liberandis strenue laborare ac quasi remigare. Equilinus episc. in catal. ss. l. XX. c. l. refert custodem S. Petri Romæ, dum altaria noctu visitaret, ductum ad quemdam locum ubi animas purgantes cerneret, ibique vidisse alias quidem jucundas, utpote bene et laute epulantes, alias autem tristes, utpote fame pressas; illas esse, pro quibus multa suffragia a viventibus fierent: has vero pro quibus nulla. Quare monitus ut hoc papæ indicaret, effecit, ut commemoratio animarum institueretur pro iis maxime, quæ suffragiis destitutæ sunt.

Dormiunt igitur et requiescunt animæ illæ in media tormentorum tempestate sed tamen nondum in pace, nos igitur oremus, ut requiescant in pace. « Nautæ, inquit S. Chrysost. hom. de habenda cura salutis proximi, licet navis secundo vento feratur, cum tamen vident alios vel a longe naufragium facere non ad propriam spectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem, sed sistunt navem, detrahunt vela, eiciunt anchoram, eiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui a fluctibus mergitur forte aliquo illorum arripito emergat. » Hoc faciunt nautæ, crassi alioquin et satis inhumani homines; et nos non faciemus hoc animabus in purgatorio natantibus? Non simus quæso inhumaniores nautis: projiciamus ad eos funes rosariorum, tabulas eleemosynarum et jejuniorum, etc.

CONCIO VI.

QUID AGENDUM IN TRIBULATIONE?

Quod nautæ faciunt in tempestate: — I. Vela contrahenda liberis vitæ. — II. Onera peccatorum eicienda. — III. Ad Deum clamandum ferventi oratione. — IV. Patientia habenda. — V. Spes velut anchora in Deo figenda.

THEMA.

Domine, salva nos, periremus. Matth. VIII.

Non est quod adeo miremur, si videamus nostro ævo toties et tamdiu jactari naviculam Ecclesiæ. Propterea enim Dominus permisit tempestatem fieri in hod. evangelio et periclitari navim suam, ut sciremus idem eventurum sæpius Ecclesiæ suæ. Quemadmodum vero ipse tunc dormivit, ut a discipulis excitaretur ad sedandos fluctus: ita etiam modo videtur obdormisse, ne nos dormiremus, sed ut ipsum susci-

taremus ad componendos fluctus. Quid vero in hujusmodi tempestatibus agendum nobis sit, nunc videndum est; idque nos docebunt artis nauticæ periti. Quid igitur hi moliuntur sæviante tempestate?

I. Vela contrahunt, ne sæviante vento navim abripiant, rotent et demergant. Tali modo qui in tribulatione sunt, contrahant licentiorum vivendi rationem, splendorem convivorum, apparatus vestium, pompam, vanitates, ludos, choreas, similia. Solent enim hæc quasi vela nimium expansa homines abripiere, in scopulos rotare et demergere; adeo ut propterea sæpe veniat ira Dei et flagellum inundans. Itaque tempore calamitatis contraria eundem est via, ut incolumes evadamus: quo modo S. Athanasius, cum a satellitibus ad necem quæreretur, qua fugiebat navicula, conversa in contrariam fluminis partem iis qui insequantur, ex industria occurrit; sicque evasit et contrarium tenens cursum effugit. Quod si igitur vos, qui secundo flumine descendistis ad libertatem carnis, navi jam universa per jejunium, et alias carnis castigationes ascendere adverso flumine conemini, spes est fore, ut quæ vos persequitur tribulatio, nihil vobis noceat. Populus Hebræorum, qui Deum irritarat in adoratione vituli, splendidiore insolescens ornatu, tum demum placavit, postquam ejus jussu deposuit ornatum suum, Exod. XXXIII. quasi alioquin indignus venia et misericordia. Et quid mirum? Ratio ipsa hoc dictat. Non præceperat Jonas regi Ninive, ut abjecto regio vestitu et convivorum luxu, indueret saccum, et jejunaret, id tamen rex solius rationis dictamine fecit. Et mulier illa Thecutis, ut misericordiam regi impectoraret lugubrem induit habitum, quasi alioquin nihil obtentura, I. Reg. XIV.

II. Vasa, armamenta, merces, quas tantis in lineis ac periculis sibi compararunt, projiciunt in mare, ut allevient navim. Pari ratione comprehensi in tribulatione onera eiciant, quæ navim cordis prægravant, nec aliud nisi peccata sunt. Opinio S. Ambrosii est exortam esse maris tempestatem propter Judam, qui, ut videtur, jam tunc depeculator crumenæ Christi fuit. Sed quidquid de hoc sit, scimus mare intumuisse propter Jonam fugitivum a mandato Dei, nec furorem posuisse, donec Jonas eiceretur, Jon. I. Quid aliud peccator nisi servus Dei fugitivus? Fugit sed non effugit; quia mare tribulationis eum comprehendit. Quid igitur factu opus? Ejiciendus est peccator, ut resurgat justus, et obediens Deo. Et qui ejiatur nisi per pœnitentiam, ut gustet amaritiam maris, peccatorum, inquam, suorum, et videat quam amarum sit, reliquisse ac fugisse Dominum

suum? Cæterum hic Jonas ita ejiatur, ut plane dimittatur, et fluctibus hauriatur, nec ad navim retrahatur. Feruntur enim nautæ (apud Ariam in Jonam ex Eleazaro Hebr.) prius varia tentasse, priusquam eicerent Jonam: primo, scilicet immersisse usque ad collum, iterumque retraxisse, nec tamen mare cessasse a furore suo, donec qui reus erat, prorsus eiceretur. Si res habet cum peccatore, omnino se abdicare voluntate peccandi debet, totumque se immergere in contritionis mare; alioquin ne finiremur si non cesset tempestas. Audite Divum Chrysostomum, hom. III. ad populum. « Potest Deus, inquit, omnia gravia solvere, sed donec viderit conversionem, non dissolvit tribulationem. Etenim artifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahet: sic et Deus non abducat tribulationem, donec emendemur. » Non persequitur nos tribulatio, saltem publica et ut plurimum, nisi ob peccata et peccatores; quemadmodum et rex Syriæ pugnans contra Hebræos, non quæsivit nisi vitam Achab, regis impii et perversi; unde mandavit suis: *Non pugnabitis contra majorem neque contra minorem quempiam nisi contra regem Israel solum*, III. Reg. XXII. quia solus ille bellum sine causa legitima moverat regi Syriæ. Vulnerato et occiso Achab, finem habuit bellum. Sic omnino tribulatio non petit nisi peccatores, ut eos per pœnitentiam mortificet, et Deo reconciliet.

III. Nautæ in altum mare sese recipiunt, nec hinc inde jactati in scopulos impingant. Quid agendum in tribulatione? Ad Deum confugiendum per ardentem orationem. Ipsa hoc necessitas docet et docuit etiam nautas illos gentiles, qui vexerunt Jonam; docuit ipsum Jonam in ventre ceti clamare ad Deum; docuit Davidem, Psalm. CXIX. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi*. Neque dubium videtur, quin etiam discipuli clamorem adhiberint, cum excitarunt Dominum ob præsens vitæ discrimen. Non videtur premi calamitate, qui non ferventer orat: nec sentire verbera puer, qui non vociferatur. Imo aliquando obstinatæ ejusdam duritiæ est non exponere querimonias suas Deo. Unde apud Jobum reprehenditur impius, qui a Deo flagellatus indurescit ad verbera, velut contumax mancipium, et non deponit ad Deum querelas suas: *Non dixit, inquit, ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? q. d. non est conquestus de Deo dicens: Ubi est Deus noster, qui consolatur nos in tribulationis nocte? Job. LV. § XI.* Ad hæc non unus tantum aut alter discipulus Christum invocavit, sed omnes simul, quia commune periculum erat. Ita par est, ut in tribulatione simul omnes vocem extollamus

ad Deum. Alioquin *unus ædificans*, inquit Ecclesiast. cap. XXXV. *et unus destruens: quid prodest illis nisi labor? Unus maledicens, alter benedicens: cujus vocem exaudiet Deus? Corroborarunt etiam preces suas interponendo causam Domini: Magister non ad te pertinet, quia perimus? Marci IV. q. d. nonne tua res agitur, si pereamus: efficax hoc impetrandi medium est, petere ad Dei gloriam, ut ipse glorificetur in nostra liberatione: non ut nobis bene sit. Ita orabat Psalmista, Ps. LXXVIII. *Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos, et propitius esto peccatis propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? Idem etiam allegavit Josue: Quid facies magno nomini tuo? Jos. VII.**

IV. Cum tempestas nimirum sævit, ut nemo ei obsistere queat, recipiunt se omnes ad interiora navis, eamque desuper claudunt, committunt se Deo et fluctibus, jactationem navis sustinendo patienter. Idem agendum in tribulatione, quando eam precibus nostris tollere non possumus: ad quietem cordis et ad patientiam nos recipiamus, nos committentes Dei voluntati et flagellum ejus humiliter excipientes. Ita S. Augustinus, in Psal. XXXIV. « Nullum majus, inquit, nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu, qui foris est: et ire in interiora mentis secretæ: ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem et subvenientem. » Et B. Humbertus de malis impatientiæ, c. XLIV. « Cum tribulatio, inquit, quædam sit rasura, talis quisque quando per hunc modum raditur, quietus sedeat; ne si sub rasorio insolenter se moverit, pejus malum per impatientiam sic incurrat. » Ita monet etiam Ecclesiasticus, c. II. *Sustine sustentationes Dei! Coniungere Deo et sustine ut crescat in novissimo vita tua.* Lyranus, et Dionysius Carth. ita exponunt: « Patientiam habe in tuis calamitatibus, quas cum sustines, eodem tempore, in iisdem a Deo sustentaris, ne cadas aut mergaris. Etenim, Deus nos per tribulationes quidem ventilat et velut naviculam in mari hinc inde jactat, interim tamen dum patienter sustinemus, velut unda nos sustentat, nec absorberi patitur: quo modo Christus in hodierno evangelio ipse excitata a se tempestate naviculam jactavit interim tamen ne mergeretur sustentavit. Qui dum iter pedibus agunt, baculo utuntur, sustinent quidem baculum manibusque gestant, interim tamen ab eodem sustentatur ne cadant. Non secus tribulationes sustinebunt nos, si eas vicissim cum patientia sustineamus. Hinc Psalm. XXII. dicitur: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*